



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

Art. 1. An Extrema Vnctio licitè conferatur oleo antiquo alterius anni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

TRACTATUS XI.

De extremâ Vnctione.

ARTICULUS I.

*Vtrum Extrema unctio licitè conferatur
oleo antiquo alterius anni?*

Materia remota hujus Sacramenti est oleum ab Episcopo benedictum, prout declaratur in Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de extremâ Unctione. Debet autem esse olivarum, uti habetur in Conc. Florent sub Eugenio IV. Et declaratur ab Innoc. III. c. unic. de Extremâ Unctione. Fundatur autem in Epist. Jacobi cap. 5. *ungentes eum oleo.*

Consuetudo autem Ecclesiæ est, ut quotannis sicut Chrisma. ita & oleum infirmorum renovetur, veteri combusto. Licet autem pro renovatione Chrismatis sint clari textus videl. c. *litteris* 18. de consec. dist. 3. Et c. *si quis de alio* de consec. dist. 4. nullus tamen est de renovatione S. Olei infirmorum, sed tantum praxis & consuetudo Ecclesiæ, contra quam agere citra necessitatem, grave peccatum esset, validè tamen veteri oleo confer-

ferretur. Adhibere tamen debet Missionarius seu Parochus debitam diligentiam ut tempestivè novum procuret. Si autem adeò remotus sit ab Episcopis ut commodè habere non possit, excusatur, donec habere possit: & interea sine scrupulo antiquo uti poterit. Ideo pro aliquibus locis Indiarum, ex dispensatione Summi Pontificis, uti possunt antiquo ad tres vel quatuor annos.

In casu autem quo multi moriuntur, & timet Missionarius sibi Oleum Sacrum defecturum, potest admiscere oleum non benedictum, quod illâ mixtione censebitur esse etiam benedictum; quod fundamentum habet in cap. *Quod in dubiis* de consecr. Ecclesiæ, ubi dicitur: *Nec negamus quin oleum non consecratum, consecrato possit oleo commisceri.* Licet autem ibi agatur de oleo benedicto ad consecrandas Ecclesias, eadem ratio esse videtur de oleo infirmorum. Sic Lessius in 3. p. de Extrema Unct. dub. 5. ubi tamen notat quòd hoc debeat intelligi, modò id quod admiscetur sit in minori quantitate, quàm prius Oleum benedictum; aut saltem admixtio paulatim fiat, si enim in majori quantitate, aut confertim infunderetur, non censeretur esse idem quod prius, & sic neutrum esset benedictum. Eo ferè modo quo aqua benedicta augetur per admixtionem aquæ non benedictæ, quæ per talem mixtionem etiam fit benedicta.

ARTI.